

in ipsam successionem, qualis fuerit, sed in eius, quam post varia virorum doctorum conamina, rectam esse scimus, rationes ac fundamenta inquirere debemus. In quibus indagandis eos, qui de ipsa successionis norma disputarent, in partes diuersissimas abiisse non mehercule mirum. Quorum tamen plurimorum sententias si accurate perpenderit, eas non ita sibi dispares esse, sed vt eadem res aliunde considerata alia esse facile potest videri, reuera saepenumero ad idem conspirare intelliges. Fusius hoc atque latius demonstrari posset singulis iis recensendis atque inter se comparandis, sed cum mihi nec fines, quibus circumscribitur commentatiuncula mea, hisce ambagibus vti permittant, nec satis inde utilitatis ad ipsum argumentum nostrum redundare videatur, illustris Ictorum ordinis desiderio rectius me satisfacturum puto, si, non quae aliorum opinio, sed quid verum sit vel mihi certe esse videatur, quaeram, nec tamen quae contra dici possint vel iam dicta sunt, silentio praeteream.

TRIA sunt potissimum, in quibus omnes fere conveniunt harum rerum periti, successionis Germanicae fundamenta, quorum primum est *status veteris Germaniae militaris*, alterum *condominium* quo gaudent agnati in bonis auitis, tertium denique istis recentius *splendor familiarum seruandus*; dum vero, quomodo ex his fontibus profluat tam antiqua quam hodierna illustrium atque nobilium succedendi ratio, demonstrare cupiunt, huic alii, alii illi fundamento maiorem vim et auctoritatem tribuunt.

STATV veteris Germaniae militari plurimas succedendi rationes contineri, post ea, quae docuit nos
vir